



Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/342350>

38.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUFRUCTU,
Q V A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex Autoritate Magnifici Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,
philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,
UT ET
Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis ritè, & legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit,
ABRAHAMUS vande WERCKE, Roterod. Bat.
A. D. 14. Novemb. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice
Typographi, clc Icc LXXXVIII.

Gravissimis Clarissimisque
VIRIS
D. D. F R A T R I
A F F I N I B U S
E T
A V U N C U L I S.

Has theses sacras facit

ABRAH. VANDÉ WERCKE.

Auct.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUFRUCTU.
THESIS I.



Sufructus recte definitur, jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ. l. 1. ff. de usufr. pr. inst. h. t.

I I.

Ususfructus est jus, id est, legitima facultas, seu potestas, quâ re alienâ, ad commodum, & usum no-

A 2 strum

4 DISPUTATIO JURIDICA

strum , uti frui liceat : sicuti hoc verbum etiam in usu juris , pro potestate , sive facultate aliquid faciendi , accipitur , *pr. inst. de stip. serv. l. 51. ff. de obl. & act.* cavendum itaque ne dicas , ut *jus* hic , sit *servitus* , ineptè enim dicimus servitutem utendi , fruendi : quippe , cum servitus propriè sit , in serviente , sed *jus* id est , facultas eâ re utendi , fruendi illi sit , cui servitus debetur : servitudes etenim solent definiri jura , respectu ejus , qui eas acquisivit , otiosum alias esset illud *alienis rebus* , nam qui servitutem dixisset , etiam comprehendisset rem alienam : cum servitus , hoc ipso , quod servitus est non possit , nisi in re alienâ esse , quia res sua nemini servit . *l. 5. ff. si ususfr. pet. l. 16. ff. de servit. præd. urb. l. 33. in fin. ff. de servit. præd. rust.*

Di-

III.

Dicitur, *alienis rebus*, male ergo dividitur *Ususfructus* in *formalem*, & *causalem*, vel nudum, & plenum, quoniam, si quis, quid faciat, in re suâ, facit pro eo jure, & libertate, quæ cuique domino, in re suâ, concessa est, & sic quidem nobis præstant utilitatem res nostræ, sed (scilicet) jure proprietatis, ac dominii, minime vero jure servitutis.

IV.

Utendi fruendi, conjunguntur illa verba, tum quia jus utendi tantum ad usum (separatam ab *Usufructu*, speciem) pertinet; tum, quia regulariter fructus sine usu esse non potest *l. 14. s. 1. ff. de usu & habit.* siquidem uti est, ex re tantum percipere fructus, quantum ad necessitatem

A 3 suf-

6 DISPUTATIO JURIDICA

sufficit, l. 2. l. 12. §. 1. ff. de usu & habit.
frui autem est, omnem rei fructum,
omnesque redditus, non ad necessi-
tudinem solummodo, sed ad emo-
lumentum quoque; compendium, &
lucrum percipere l. 7. ff. b. t. sic ut
fructuum nomine, non tantum ve-
niant fructus, ex re suâ naturâ pro-
venientes, §. 37. inst. de rer. div. aut
labore, & industriâ hominum pro-
ducti, l. 9. ff. b. t. l. 48. ff. de adq. rer.
dom. sed etiam civiles, id est, qui
quovis modo, per occasionem rei
fructuariæ percipiuntur, ut sunt
ædium locationes, pensiones, usu-
ræ; aliæque obventiones civiles.
d. l. 7. §. 1. ff. b. t. quæ vicem fructuum
obtinere dicuntur. l. 34. l. 36. ff. de usu-
ris & fruct. &c.

V. Po-

V.

Postremo additur, *salvâ rerum substantiâ*, quibus verbis, modus utendi fruendi Uſufructuario præscribitur, ut videlicet rem salvam servet domino, ac proinde hac clausulâ fructuarium prohiberi, rem consumere, causamque proprietatis, ullâ ratione, deteriorem reddere. l. 13. §. 4. ff. b. t. hisque *verus Uſufructus*, distinguitur à *quasi Uſufructu*, cavere quoque tenetur *Uſufructuarius*, se uſurum fruiturum, boni viri arbitratu, & finito *Uſufructu*, rem restituturum l. 1. ff. *uſufr. quemad. cav. in pr. d.* l. 13. tenetur præterea ædes reficere, & fartas tectas conservare. l. 7. §. 2. & seq. ff. b. t. in locum demortuarum arborum alias substituere l. 18. ff. b. t. gregem, ex agnatis
ca-

8 DISPUTATIO JURIDICA

capitibus , supplere : §. 38. *inst. de rer. divis.* denique talem diligentiam , quam diligens paterfam. rei suæ custodiendæ adhibet , adhibere, adeoque & levem culpam præstare. *d. l. 1.* §. 3. *l. 2. ff. usufr. quemad. cav. l. 9.* §. 2. *l. 65. in pr. ff. b. t.*

V I.

Constituitur **Ususfructus** , in omnibus rebus , quæ usu non consumuntur , sive mobilibus , sive immobilibus , ut in fundo , ædibus , servis , jumentis , & cæteris rebus , ex quibus aliqua commoditas percipi potest , salvâ rerum substantiâ , §. 2. *inst. b. t.* quæ autem ipso usu consumuntur , quarumque usus consistit , in abusu , ut vini , olei , frumenti , nec non pecuniæ numeratæ , neque naturali , neque civili ratione ,

Usum-

INAUGURALIS. 9

usumfructum recipiunt d. §. 2. in quo
§. vestimenta ponuntur , in quasi
Usufructu , cum vestimentorum ,
verum & naturalem Usumfructum
esse , dicatur , in l. 15. §. 4. & 5. ff. b. t.
l. 9. §. pen. ff. usufr. quemad. cav. verum
enimvero vestimenta recipiunt , &
verum Usumfructum , & quasi U-
sumfructum , prout constat de vo-
luntate testatoris , quæ vel ex ver-
bo , vel facto ejus , perspicua est ,
sed tamen in casu dubio , puto , po-
tius videri , quasi Usumfructum re-
lictum , quam verum , cum saltem
videantur consumi , & sic dd. *textus* ,
possunt conciliari. Quasi Usu-
fructarius quoque cautionem præ-
stare tenetur. tot. tit. ff. usufr. quemad.
cav. l. 7. ff. de usufr. ear. rer. &c.

10 DISPUTATIO JURIDICA

V I I.

Licet animalium foetus in fructu sint, attamen partus ancillæ in fructu non est §. 37. *inst. de rer. div.* ancillæ enim non habentur, ut pariant, sed ut serviant l. 27. ff. *de hered. pet.* absurdum etiam est, hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominum gratiâ comparaverit, l. 68. ff. *de usufr. l. 28. §. 1. ff. de usur. d. §. 37. inst. de rer. divis.* confidirentur itaque decor, honestas, hominisque dignitas.

V I I I.

Finitur Uſusfructus 1. *morte naturali* Uſufructuarii, nam Uſusfructus est jus personale, quod non transit ad heredes, sed cum personâ interit. 2. *Morte civili*, maximâ, vel mediâ capitis diminutione. 3. *Non uten-*

INAUGURALIS. II

utendo per modum à testatore præscriptum , arg. l. 1. §. 5. ff. usufr. quemad. cav. 4. Si Usufructuarius non utatur per tempus constitutum , id est spatio decem annorum , inter præsentes , viginti inter absentes , l. pen. C. de usufr. l. 2. C. de servit. 5. Cessione , fructuarius enim potest jus suum proprietario cedere , sin autem extra-neo cedat , nihil agit , respectu scilicet extranei l. 66. ff. de jur. dot. id est , non transfert Usumfructum , ad eum , cui cedit , quia Ususfructus , cum sit (uti dictum) jus personale , non potest à personâ , ad personam transire , ideo autem proprietario cedi potest , quia per cessionem , nempe , cum à personâ fructuarii , transfertur , interit , cum autem interit , ad proprietatem revertitur

§. 4.

12 DISPUT. JURID. INAUG.

§. 4. *inst. b. t.* aliquid ergo agit, quatenus Uſusfructus perit fructuario, & redit ad proprietarium. 6. *Consolidatione*, cum Uſufructuarius acquirit proprietatem, quotiescumque enim Uſusfructus, cum proprietate conjungitur, omnino interit. 7. *Rei interitu*, id est corporis, ex quo fructus percipiuntur, & in quo Uſusfructus inhæret *in pr.* & §. 3. *b. t.*

